

DISSERTATIO ACADEMICA
*HISTORIAM DESCRIPTIONEMQUE
 PAROECIÆ MÅNDTHARJU*
 SISTENS;

CUJUS
 PARTEM TERTIAM ET ULTIMAM,
 CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT. PHILOS. AB.
 PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

*Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimire
 in quarta classe Equite, Societt. Oeconm. Imp. Fenn. atque
 Reg. Wermel. nec non Societ. Patriot. Holm. Membro, &
 Societ. Latin. Genens. Socio Honorario,*

VENTILANDAM,

PRO EXERCITIO,

EXHIBET

ANDREAS GUSTAVUS TÖRNNUDD,
Ostrobothniensis.

In Audit. Medico die xiv Decembris MDCCCXIV.

b. a. m. consuetis.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

Corrigenda.

- Pag. 5 lin. 4 legitur: *Mändyhar-* legatur: *Mändyharjuen-*
juensis; ses.
- 7 — 18 — $60^{\circ} 24'$; — $61^{\circ} 24'$.
- 22 — 22 inter 1731 & in ipso excidit vocabulum *lata*.
- 23 — 12 post LÄNGSVÅRD reponatur obscurum nimis
interrogationis signum (?)
- 27 — 21 legitur: *Russæ*; legatur: *Russice*.
- 28 — 19 — *Mändyharja*; — *Mändyharju*.
- 29 — 27 — antem; — autem.
- 32 not. 2) lin. 2 legitur: 3 8; legatur: 308.
- 40 — 9 sq. leg. *Touunalkaiset*; — *Touvonalkajaiset*.

*Durum ab stirpe genūs — — —
At patiens operum — — —*

VERGILIUS.

De mōribus Incolarum Parœciæ nostræ in superioribus jam est, ex occasione nominis vulgaris famaque, quibus notati bi diu fuerunt, non nihil dictum; quod reliquum est, hoc loco videtur aptissime commemorandum. Pertinent huc non paucæ illæ antiquioris tam ethnicae quam christianaæ, aut ex utraque conflatae superstitionis reliquæ; quæ etsi obsolescere sensim occiperint, nec plane interierunt tamen, & si non temper ex leviculi cuiusdam animi perversione, ex more saltem & ritu, quem temerare vel prudentiores sæpe nolunt, retinentur. Quam autem sit non in iis solum quæ fieri, vetum & in iis quæ credi debere censentur, religioni propinqua supersticio, vel id docet quod de hodierni nostracium Templi ædificatore, ejusque quodam voto, & narratur & a multis admodum meticulose creditur. Ferunt nempe vovisse eum, ut incepturn opus prospere citoque succederet, tres incolarum sacra aditutorum plena cymbas in lacu Templo adjacente *Pyhävesi* submersum ituras: quod votum pars jam impletum putat, pars donec solutum censeri id queat, restare adhuc tertiam scapham, nec illam diu itum fore quæsitum. Dicunt namque horum nonnulli, periisse primam anno 1721 aut salrem intra

intra primos duodecim ab urbe Wiburgi expugnata annos; de altera, subversam fuisse illam a. 1752 & primo feriarum Pentecostes die, idque ita, ut ex triginta hominibus non amplius quatuor salvi evaserint, communis est partim memoria partim fama; qui casus cum undecennio (quod temporis spatium æquaie fere est prioris illius computationis periodo) post captam Willmanstrandiam incidet, concludunt, qui inanibus istis somniis habent fidem, interituram esse tertiam post totidem circiter a recentissima Fennicarum rerum conversione exactos annos. Sunt porro alii, qui, quamvis primi naufragii epocham accurate definire non valeant, in eo tamen cum jam dictis consentiunt, exspectandum adhuc esse tertium; in quorum numero vel hodie est quædam honoratoris fortis femina, quæ, quoties scapha ipsi est ad Templum eundem, per lacum istum ire nunquam audet, sed tutiora anxie querit itineris dispendia. Sunt denique etiam alii, nec illi minus creduli, sed eam tantum ob causam nihil sibi metuentes, quod putent solutum jam esse funestum illud promisum, tertiasque & ultimas ejusdem victimas fuisse illas, quas annus merferat Gregoriani apud nos calendarii ultimus. Est quoque popularis, nec apud nostros solos sed & aliorum locorum habitatores pervagata opinio, a Templorum edificatoribus raro & vix unquam admoveri solere operi manus, nisi voto quodam suscepto oblatoque felicis laboris pretio: in cuius rei fidem memoræ a b. Z. CYGNÆO, juniore proditum est, notum ipsi fuisse Pastorem Ecclesiæ cujusdam vicinæ senem, qui, quominus, se vivo, absolveretur novum Iuorum templum, ideo impediverit, quod audivisset devotum ab ejus structore fuisse se, cuius primum fumus inhumandum eo inferretur.

Quadragesima & amplius sunt anni, ex quo Festorum Ecclesiæ Svecanæ anniversariorum haud pauca sustulerat
Edi-

Edictum Regium die datum 4 Novembris a. 1772: quod tamen ne alibi quidem, & minus etiam in parœcia, cuius non exigua pars nova ista lege non tenebatur, ad vetustum eorundem honorem abolendum mox valuit; & sane nondum is ita desit, ut nihil sit ex eo reliquum, in primis cum neque omnes horum festorum ritus Christianæ Religioni debeant originem, sed multo sint antiquiores & per diuturnam consuetudinem inveterati. Sic ve pere ante diem Johannis Baptistæ struem accendent lignorum e pinis siccatis septem octo ulnas altam, & circa hunc ignem, quem *Kokko a)* appellant, noctem insomnes ducent ludis, cantibus, buccinarum e cornibus hircinis factarum clangore, & choreis *b)*. S. Petri die (Junii 29) a graviore quovis & difficultiore opere abstinent: feminatum vix unam aut alteram suendo occupari videas; reliquarum pleraque baccas pomeridiano tempore legunt. S. Jacobi diem (25 juli) ab Ukkone fulminis deo *c)* *Ukkonpyhä* (Ukkonis festum) vocant, tumque, ad avertem tam tonitruum vim, omnia follicite vitant negotia quæ fragoris quidquam aut strepitus habent, ut neque molas tractent, neque frumenta triturent, telas texant, fila neant, immo ne quidem messem faciant aut fœnise-

F 2

cium

a) Nota hæc appellatio fuit etiam BÜSCHINGIO; vid. I. c. p. 487.

b) Cfr. PORTHAN & TENGSTRÖM in Vitterhets- Historie- och Antiquitets-Academiens Handlingar, 4 Del. p. 18 sq. 25. 7 Del. p. 283. sq. atque Ille in Chronicō Episcoporum Juusteniano p. 68. & Diss. de Poësi Fennica p. 77. Cfr. & Åbo Tidningar 1787 p. 148, 228 sq. Finland och dells Invämare af RÜHS, 1 Del. p. 15.

c) Cfr. PORTHAN & CHRIST. E. LENCQVIST Diss. de Superstitione veterum Fennorum theoretica & practica p. 24. sqq. 59 sq. TENGSTRÖM I. c. p. 271. GANANDER I. c. p. 96 sqq. Åbo Tidningar 1791 N:o 17. RÜHS I. c. p. 20.

cium instituant. Festo omnia Sanctorum mactatur atque comeditur agnus ille sacer & intonsus *Villavuona*, idque in pristini pecuariæ rei numinis *d)* Kekri s. Köyri (utrumque Dei nomen nostri norunt festoque indiderunt) si non honorem, saltem memoriam, simulque puls (*Talkuna*) coquitur ex farina avenacea, & editur; qui titus, per totam Careliam Savolaxiamque sparsi, nec tamen aut eodem ubique die obiri soliti *e)* aut in reliqua Fennia prorsus insueti *f)*, tantam cum Israëlitarum paschali agno &

d) Porthan & Lencqvist l. c. p. 31 sq. 60 sq. Ganander p. 37 sq. 44. Åbo Tidn. 1778 N:o 15. Mich. Agricola in carmine, præmisso Psalmis Davidicis Fennice editis Stockh. 1551; unde, quæ ad antiqua Fennorum numina spectant, repetierunt Petr. Bang in Prætorum Sveogothorum Ecclesia s. Historia Ecclesiastica Ab. 1675 p. 206. sqq. & Gabr. Arctopolitanus in Disf. de origine ac Religione Fennorum Upsl. 1728 (Præf. Fab. Törner) p. 36 sqq. Cfr. Åbo Tidn. 1778 N:o 12 sq. & 1796 N:o 15, atque Mich. O. Wexionii Epit. Descript. Sveciae, Gothia, Fenniae & subjectarum Provinciarum, Ab. 1650 L. X. c. 2. Rühs l. c. p. 21.

e) Infervit apud Måndyharjuenses nostros huic festo dies Sanctorum omnium, quod etiam putamus esse ceteris in locis usitatisimum (cfr. Porthan & Lencqvist p. 32, 60. Ganander p. 37, 85); alibi S. Olavi dies (Julii 29; Porthan & Lencqvist p. 31, 57. Ganander p. 65. C. F. Mennander & Gust. Fredr. Augusti Disf. Praesagia tempestatum quæ collecta sunt in Carelia, Ab. 1751 p. 14. Rühs 2 Del. p. 48, 61); uterque alibi (Ganander p. 37. Åbo Tidn. 1791 N:o 17); alibi dies S. Michaëlis (Sept. 29; Porthan & Lencqvist p. 57. Ganander p. 60, 109); in Parœciis Savolaxie aliis S. Martini dies (Nov. 10 aut 11). Incidit tamen ubique fere in autumnale anni tempus, quo post finitam messem & condita horreis terræ munera corpus levare nullæ non sverunt gentes; cfr. Tengström l. c. p. 274 sq.

f) Servari eundem morem in Ditione Cajaneburgenfi, quod docent P. Kalm & Eb. Castrén Hist. och Oecon. Beskrifning öfver Caj-

& pane azymo habere nonnullis visi sunt similitudinem; ut & his inducti Fennos nostros ex ea gente oriundos putarent ^{g)}). S. Catharinæ, quam bonam villicam & pecuariæ ministram venditant, id tribuunt honoris, ut die ipsi sacro altero (Novembris 25), & bene quidem mane, bubilia adeant, dapibusque convivalibus (*Katarinan lahjat*) ibi apparatis, quas inter potissima censetur puls, epulentur ^{h)}). Nec omni forsitan superstitione caret ⁱ⁾ mos ille an-

naborgs Län, Åbo 1754 p. 76 (ubi & fuse narrantur hujus sacri cærimoniae), eo minus miremur, quod vicina hæc est Parœciis Savolaxiæ *Idenjalmi* & *Careliæ Pietis*, nec a Parœcia itidem Savonica Kuopio longe distat (cfr. Åbo Tidn. 1791 N:o 17); an etiam in reliqua Septentrionali Ostrobotnia vigeat, ex iis, quæ pag. 109 afferit **GÅNANDER**, haud satis liquido colligitur.

^{g)} Debetur monstrala hæc opinio potissimum **OLOAO RUDBECK** filio, cuius de ea re litteras ad **TÖRNERUM** datas legendas exhibet **ARCTOPOLITANUS** I. c. p. 13 — 23; sed arrisit eadem deinde vehementer **Illiustri R. Svecicæ Senatori Comiti Gustavo BONDE** (Förfäkt att igenfinna den Finska Nationens och Språkets härkomst, in K. Sv. Vitterhets-Academiens Handl. 1 Del. p. 78 — 104), **JOHANNÆ ARCKENHOLTZ** (videatur Ejus in primis Lettre aux Auteurs du Journal Encyclopédique de Liège au sujet des remarques sur les Finnois ou Finlandois, Francf. & Leipz. 1756, & Åbo Tidn. 1778 p. 28 sq.), **JOH. BILMARK** & **FREDR. COLLIN** (Disf. de origine Fennorum, Ab. 1764, 1766), **SVENONI BRING** s., **LAGERBRING** (Svea Rikes Historia 1 Del. Sth. 1769 p. 45 sq.), & aliis. Singula, quibus hæc opinio nititur, argumenta copiose refutata leguntur in Åbo Tidn. 1771 N:o 13, 1772 N:o 19 sq. 1783 N:o 45 sqq. cfr. **PORTHAN** ad Chronic. Episc. Juusteni p. 522.

^{h)} Cfr. **GÅNANDER** p. 28, 32. Åbo Tidn. 1791 N:o 17. Rühs 2 Del. p. 47 sq.

ⁱ⁾ Suspicionem hanc si non firmare, saltem non infringere videntur hæc **BÜSCHINGI** (l. c.) verba: *In ihren Stuben an der obern Decke siehet man Strohhalmen hängen, welche die Finnen am Christabend*

antiquus & multis in locis pervulgatus, domum pavimenta stramine circa Festum Natale Christi conspergendi: qui si vel Christianismo antiquioris, ut nonnulli ¹⁾ putant, fuerit originis, videtur tamen posterioribus temporibus, quæ etiam FÜSCHINGII ²⁾ & aliorum fuit opinio, ad Redemptoris in prælepi cunas maxime respexit. Pariter neque nulla est stulte credularum mentium labes in iis, quæ vernæ sementis, eodemque pecorum in nova gramina immittendorum die, fieri solent. Appellatur is *Touunalkajaiset* (sementis initium); tumque non solum (quod quatenus ad avertendas æstivorum halituum noxas valere creditur, a vitio immune est) vaccarum ora pice liquida in ipsis etiamnum stabulis oblinunt, collaque suspensis campanulis cingunt, verum id quoque studiose servant, ut bubulcum post duas tresve horas e pascuis cum grege reducem, nec minus aratores satoresque ex arvis redeunt, frigida puraque aqua insidiote & ex improviso inundant, tandemque, instructo prandio, sementivum illum insolite magnitudinis, per totam hiemem in acervo quodam granarii conditum, panem *Toukoleipä* ³⁾ comedendum

hinauf werfen; diejenigen, deren Strohalm zwischen den Ritzen hängen bleiben, versprechen sich das Jahr ein besonderes Glück zur Erndte: quod tamen divinandi genus an in nostra quoque Parœcia usu venerit, ignoro. Cfr. JOH. IHRE & JON. MOMAN de Superstitionibus hodiernis ex Gentilismo residuis, Ups. 1750, 1752 p. 19, 30 sq.

¹⁾ OL. RUDBECK pater in *Atlantica*. IHRE l. c. & in *Glossario Syllogoth.* voc. *Julihalm.*

²⁾ L. c. p. 492.

³⁾ PORTHAN & LENQVIST p. 60. GANANDER p. 91, ubi notandum, non Julio mense, ut perperam hic habet, sed paullo ante Juliorum

dum familiæ distribuunt, qui mos neque arcanis quibusdam (alibi saltem) vacat cærimonii, neque originem non prodit divinorum quondam conjugum *Ukkonis & Rauni* s. *Akkæ* cultui debitam ⁿ⁾). — Sunt etiam alia superstitionis, in nullis fere mortalibus vita conditionibus otiosæ, vestigia. Sic nemini fere magis timent, quam infantibus recens natis & neogamis conjugibus, a quibus igitur noxas & incantamenta depellere multimodis tentant ^{o)}; sic morbos (acutis illis exceptis), Amentiam, Epilepsiam, Apoplexiā, Odontalgiam, Arthritidem, Sangvinis profluvia, Ambustionum, Vulnerum & Viperini morsus dolores, ac nescio quæ non mala partim a malevolis hominibus immisla esse, aut e locis sacris malefanisve adhæsisle credunt, partim nulla re sanari sistive posse efficacius, quam arcana carminum aliarumve formularum & præstigiarum virtute ^{p)}, cujus fama celebres sunt in primis senes, vetulæ,

festum (*Ful*) coqui illum panem solere. Transiit idem **GANANDER**: error in librum saepius laudatum Cel. Rühs. 2 Del. p. 48.

ⁿ⁾ **PORTHAN & LENQVIST** p. 24 sqq. 42 sq. 59 sq. **GANANDER** p. 3, 76, 97.

^{o)} **PORTHAN & LENQVIST** p. 76, 79. **GANANDER** p. 87: cfr. Åbo Tidn. 1772 p. 21. De neogamorum & amantium fascino aliisque periculis antiqua est & apud multas gentes pervagata opinio, cuius indicia satis manifesta præbent *Tobiæ liber* 3: 8; 6: 8, 14, 19; 8: 3; 12: 3. *VIRGIL*. Ecl. 8. v. 66 sq. 73 — 75. 77 sq. *OVID*. Amor. L. III. eleg. 7. v. 27 — 30. 79 sq. *TIBULL*. L. I. eleg. 8 v. 5 sq. 17 sq. *KÄMPFERUS* (de Macassariensibus) in *Amœnit. Exott. Fascic.* III. p. 658 (cfr. *SAUVAGES de Anaphrodisia magica in Nosologie methodique*, Paris 1771, T. II. p. 244) &c. Ad infantes quod attinet, habebant etiam Romani suam *Cuninam Deam*, quæ, *LACTANTIO* & *AUGUSTINO* teste, summovere ab ipsis fascinum putabatur.

^{p)} **PORTHAN** de Poësi Fennica p. 88 sqq. Idem & **LENQVIST** p. 22 sq. 40, 64 sq. 73 sq. 79, 82, 84 sqq. 90 sq. Idem & F. J. ROSENBOOM

tulæ, & omnium maxime castratores *q).* sicque stramen, cui moribundus aliquis incubuit, post hujus obitum mus-
sitantes sollicite colligunt, & studiose aservatum in ipsis
exsequiis incendunt, quo super ejus flammarum cito actum
funus spectri forma redire suorumque tranquillitatem tur-
bare nequeat: alia his similia aut terriculamenta aut aliis
generis nugas ut taceamus.

Non esse vestitus rationem per totam Parœciam ean-
dem, sed in singulis illius partibus aliquantulum variam,
supra jam est significatum *r).* Utuntur viri tractus Lapp-
vesiensis amiculo e panno laneo rudiore coloris alboci-
nerei, cum cingulo coriaceo, alutaceo aut laneo (*af käl-*
mink) lato, ex quo tamen, ut monitum pariter est, nulli
hodie dependent cultri; pileis e densata lana (*full*) factis;
collaribus aut virgatis aut nigris; & ocreis; in tractu Ta-
vastico, amiculo albo. braccis amplis albisque, sed acu-
& filo laneo rubro inferius pictis, & calceis; in tractu Savonico,
quippe qui antiqui habitus vel hodie retinen-
tior est, etiam amiculo, at raro pileis, raro collaribus,
sed illorum loco galeris aut petasis, e panno cæruleo aut
nigro, cum limbo rubro, angusto, rotundis, parvis, ho-
cum, per hiemem, e pelle ovina focalibus prolixis, æstate
collo.

de fama Magiae Fennis attributæ p. 15 sqq. GANANDER p. 5. sq.
11 sq. 14 sq. 20 sq. 29, 32, 34 sqq. 39 sqq. 47 sq. 51 sqq.
55 sqq. 61 sq. 66, 70 sqq. 77, 85, 88, 91, 100, 108 sq. RÜHS
2 Del. p. 40 sqq.

q) PORTHAN de Poësi Fennica p. 90. Idem & LENQVIST p. 76.
GANANDER p. 7, 45. RÜHS 2 Del. p. 42.

r) Pag. 9.

collorum indumento plane nullo, sed per totum annum argentea indusium connectente fibula (*brisik, rindasolk*) &, quod a multis hodie dum fit, balteo orichalceo, cultrigero. Geri porro a totius Parœciae feminis solet amiculum e panno laneo albo, sed virili brevius, velamenta imi corporis variegata aut nigra, indusium duplex, quorum interius manicis caret, exterius, manicatum (*Tliset dictum*), a collo paullo ultra pectus demittitur, palulasque nigras, albas, aliorumve colorum, & fibula nexus argentea inaurata; sed reliquo cultu differunt partim nuptæ ab innuptis, partim aliis tractus sexus ab alio. Est nempe mulieribus Lappvesiensis tractus peculiare tegumentum capitis, quale in vicinis coetibus *Suomenniemi* & *Savitaipal*, albi coloris, recline, sed vel harum nonnullis & reliquarum partium omnibus aliis formæ tegmen, tñidem album, sed corrugato & longiore atque cervicem tenus dependente syrmate instructum. Puellæ omnes nudis capitibus incedunt, sed duabus ornatæ vittis, nigra & rubra, quas inter plexi prominent capilli. Pulcherrimæ sunt Tavastici tractus feminæ, exdemque & urbaniores; ubique vero matrimonia mature contrahunt, magnoque sibi ducunt dedecori innubas sextum inivisse ætatis suæ lustrum.

De Ædificiis nostrorum, cum reliquis ejusdem provinciæ similia sint ^{s)}, parum est quod dicendum habeamus; sed monuisse tamen e re erit, fumosa ipsorum atria in parte Parœciae Tavastica multo esse quam in reliquis mundiora, haberique in quavis fere villa, præter istam totius familie habitationem, etiam domunculam aut cubiculum majus, excipiendis dicatum hospitibus & camino

G

ru-

^{s)} Cfr. RÜZS I. c. 2 Del. p. 58. BÜSCHING I. c. p. 481.

tudibus fabricato saxis instruclum. Etiam in cibis bene & ad exquisitiorem saporem apparandis præcellunt ceteris sui sexus & coetus Tavastici tractus feminæ. Crevisse quoque, nec ibi solum, sed per vicos omnes, luxum, non in victu minus quam in vestitu & reliquo cultu, sed inter feminas potissimum, multorum est querela. Id certum est, frugalissimos quondam fuisse omnes; narratumque ante duo aut tria quinquennia ab illorum temporum senibus est, se pueris Tabaci & Frumentacei Spiritus usum innotuisse adhucdum fere nemini. Fertur MOLLERUS ille junior, de quo supra ^{t)}, cum per Farœciam ex munericione huc illuc iret, vexisse secum destillati illius liquoris aliquantulum, indeque etiam cum patribus matribus, que familias, a quibus nocturno excipiebatur hospitio, honoris causa, communicasse, quod tamen ad luxum illum aut verius intemperantiam gignendam parum aut nihil contulisse censemitur: quam quippe ineunte demum XVIII:o sæculo cum profugis hoc Ingris, Estonibus, Livonis, simulque Tabaci fumigandi consuetudinem, advenire cœpisse memor prodidit fama, nec minus novit prima istius potus conficiendi conamina fuisse magno cum frumenti dispendio ollarum & lebetum ope instituta.

Quæstus inter, quos exercent hi nostrates, primum locum tenet Agricultura, quam tamen difficilem valde reddit soli natura. Argillosa arva, minores quasdam hic ibi obvias portiunculas si excepéris, solus habet vicus Saviniemi; humum arena mixtam non nisi paucæ villæ: quod reliquum est, id aut in montes surgit, aut arenam præfert infinito saxonum numero scatentem. Hinc quantum excultum est agri, cæsarum arborum incensioni debetur.

t) Pag. 30. sq.

betur maxime, deinde paludum exsiccationi; sed ita tam
en, ut, deficere sensim incipientibus silvis, justa quo-
que novalia proscindere sensim instituerint turicolæ no-
stri. Sic in vico *Perduma* censitici prædii possessor *Pe-*
trus Alvenain a Societate Fenniæ Oeconomica a. 1802
præmii loco reportavit numisma illud argenteum majoris
moduli in pectore gestandum, quo ornari solet insignior
præcipue rusticorum hominum industria, quod, præter
siccandi majoris stagni, *Röyhylambi*, vicinæque paludis la-
borem, novum in solo petrosissimo eruderasset consevis-
setque verbaustum sex jugerum Svecicorum u). Parum
tamen adhucdum est Frumenti, quod divendi a Parocciæ
nostræ incolis possit, & minus etiam Lini aut Cannabis,
quæ fere ad domesticos tantum usus coluntur. Solani
elculenti tubera ubique fere culta invenias, nec infre-
quens est Polygonum fagopyrum, quo magnam partem
vicitant plures Lappvesiensis ditionis vici.

Constant Silvæ nostratium potissimum Pinibus, Abie-
tibus, Betulis, Alnis. Inserviunt hæ partim tabulis tecti-
bus, quibus secundis occupantur una cataractæ *Tainakoski*
& duæ cataractæ *Woikoski* ferratoriæ molæ; partim supel-
lex varii generis lignea, cuius scite fabricandæ laude vici-
nis Parocciis hi nostri multum antecellunt, quare & trahæ
iporum manu factæ ad longinquiores etiam urbes, nec
sine lucro, venum eunt; partim pici coquendæ liquidæ,
quam Helsingforsiam & Lovisam vendendam advehunt v).
Nec parum affabre aurum, argentum, cuprum, orichal-
cum,

G 2

u) Utdrag af K. Finska Hush. Sällsk. Dagbok år 1802 p. 89 sq.
Åbo Tidn. 1802 N:o 37.

v) TUNELDS Geographic öfver Sverige, 7:de Uppl. 3 Band. p. 485

cum, ferrumque tractant iidem, carereque sic facile possunt urbanorum artificum opera, & ipsi, quæ ad cultum ornatumque suum spectant, parare. Emi vero oportet & Ferrum illud aliunde, cum in Mändyharjuensium lacubus hodie vix prostet. & minus etiam successerit ejusdem in paludibus & uliginosis harum regionum locis investigatio ^{x).} Contra autem longe lateque notus est monticulus ille lacus *Perduvesi* Plumbagine constans, nec situs tam, ut habet TUNELD ^{y)}, ad *Kuldavola*, sed ad villam-vieⁱ *Perduma*, *Kärnälä*, quæ etiam illum jam sola posidet civique cuidam *Borgoënsi* elocavit, cum antea promiscui esset usus & permultis lucrosus.

Piscatum a Mändyharjuensibus non sine fructu exerceri, ad credendum facile inducit vel ipsa lacuum hanc Parœciam irrigantium insignis copia, quæ tanta quidem est, ut solus ille vicus *Paisjärvi* ^{z)} suorum intra fundorum limites eorum numeret amplius septuaginta. Scendum vero est, a procurrente per hanc nostram Parœciam nobili illo jugo *Määnselkä* ^{a)} ita dividi innumerorum istorum lacuum aquas, ut qui ab occidente sunt, quorumque maximus est *Enoselkä*, in *Kymmene* fluvium, qui ab oriente

^{x)} RINMANS Berättelse om en uppå Bergs. Collegii befallning i Savolax och Carelen verkställd förrättning p. 31, 103.

^{y)} L. c. p. 422. Etiam in vicinis parœciis *S. Michaëlis*, *Christina*, *Jokkas*, *Jorois* alibique invenisi Plumbaginem, testes sunt RINMAN p. 42 & BÜSCHING p. 489, cui tamen hic nimis, ut videtur, vile statuit pretium.

^{z)} Pag. 7.

^{a)} Supra p. 10. Cfr. Åbo Tidn. 1791 N:o 155.

oriente, in *Saima* lacum sensim exonerentur: esseque in ipso illo jugo minorem quendam lacum *Läppsyöftö*, qui longitudine octavam, latitudine vigesimam circiter milliaris Svecani partem explet, cujusque alterum ostium, occasum versus, lacus peragrat *Nuja*, *Kihliä* & *Tainavesi*, e quo per cataractam *Tainakoski* lacum intrat *Kallavesi*, adjungens sibi lacuum trium minorum (*Kuhaset*) aquam, indeque per fretum *Wuoldensalmi* abit in lacum *Pyhäselkä* (*Iso Pyhävesi*), cataractam *Pyhäkoski*, lacus *Lalinavesi* (aquam excipientes lacuum *Thusjärvi* & *Perduvesi*), fretum *Miekansalmi*, lacum *Tarhavesi*, fretum *Naulasalmi*, tumque, cursu versus meridiem flexo, in lacum *Juolavesi*, fretum *Wirranjalmi*, lacum *Sarkavesi* & cataractam *Woihoski*, unde in Kymmenenensem fluvium fit transitus; cum contra per alterum illud lacus *Läppsyöftö* ostium, orientem versus, aqua tendat primum in lacum *Korpjärvi*, indeque per cataractam *Pihinkoski* in lacum *Kuolimo*, qui porro in *Saima* lacum effluit. In his autem omnibus quid capi soleat piscium, e sequentibus utcunque patebit; interea observasse e re erit, usitatissima piscandi instrumenta esse vermiculum (*Not*, quo etiam hieme utuntur), rete (*Nät*), hamumque aut sine virga (*Krok*), aut cum illa (*Mete*).

Animalium intra Mändyharjuensi nostrorum fines progigni solitorum, quam accepimus, heic, licet, in Inseditis maxime, valde mancam, sistimus recensionem; nec alias apposuimus Fennicas eorundem appellations, quamquas & ab ipsis usurpari novimus istorum locorum insolis, nec in Faunis aliis invenimus typis expressas,

MAMMALIA.

| | | | |
|-------------|---------------------------|---------|----------------------|
| Vespertilio | <i>murinus.</i> | Mus | <i>decumanus.</i> |
| Canis | <i>familiaris.</i> | | <i>rattus.</i> |
| | <i>lupus.</i> | | <i>musculus.</i> |
| | <i>vulpes.</i> | | <i>agrestis.</i> |
| Felis | <i>catus.</i> | Sciurus | <i>vulgaris.</i> |
| | <i>lynx.</i> | | <i>volans.</i> |
| Lutra | <i>vulgaris.</i> | Lepus | <i>timidus.</i> |
| Mustela | <i>foina (rerior).</i> | | <i>cuniculus b).</i> |
| | <i>martes.</i> | Cervus | <i>alces c).</i> |
| | <i>erminea.</i> | Capra | <i>hircus.</i> |
| Ursus | <i>arctos.</i> | Ovis | <i>aries.</i> |
| | <i>minor</i> | | <i>rustica.</i> |
| | <i>annulatus (Sepelä-</i> | | <i>germanica</i> |
| | <i>kaulanen Karhu).</i> | | <i>semigermanica</i> |
| | <i>cinereus (harma</i> | | <i>hispanica.</i> |
| | <i>Karhu).</i> | | |
| Talpa | <i>meles.</i> | Bos | <i>taurus.</i> |
| Sorex | <i>europaea.</i> | Sus | <i>scropha.</i> |
| | <i>araneus.</i> | Equus | <i>caballus.</i> |

AVES.

| | | | |
|-------|---------------------|---------|--------------------|
| Falco | <i>fulvus.</i> | Corvus | <i>cornix.</i> |
| | <i>aeruginosus.</i> | | <i>corax.</i> |
| | <i>apivorus.</i> | | <i>pica.</i> |
| | <i>nifus.</i> | | <i>glandarius.</i> |
| Strix | <i>ulula.</i> | Oriolus | <i>galbula.</i> |
| | | | Cuculus |

b) In flaminia tanum Pastorali alitur.

c) Cervus tarandus, quem olim inventum fuisse dicunt, jamdudum est extirpatus.

| | | | |
|------------|---------------------------|-----------|----------------------------|
| Cuculus | <i>canorus.</i> | Tetrao | <i>lagopus.</i> |
| Picus | <i>viridis.</i> | | <i>perdix (Peltopyyy).</i> |
| | <i>martius.</i> | Columba | <i>œnas.</i> |
| Jynx | <i>torquilla,</i> | Emberiza | <i>nivalis.</i> |
| Anas | <i>boschas.</i> | | <i>citrinella.</i> |
| | <i>fusca.</i> | Alauda | <i>arvensis.</i> |
| Sterna | <i>anser, domesticus.</i> | | <i>pratinensis.</i> |
| Colymbus | <i>hirundo.</i> | Turdus | <i>pilaris.</i> |
| Ardea | <i>arcticus (Kuiko).</i> | | <i>iliacus. (Leppä-</i> |
| Scolopax | <i>grus.</i> | | <i>lintu).</i> |
| | <i>phaeopus.</i> | | <i>viscivorus.</i> |
| | <i>ruficola.</i> | | <i>merula.</i> |
| Tringa | <i>gallinago.</i> | Fringilla | <i>spinus.</i> |
| | <i>vanellus.</i> | | <i>cælebs.</i> |
| Charadrius | <i>apricarius.</i> | | <i>domestica.</i> |
| | <i>hiaticula.</i> | | <i>montifringilla.</i> |
| Rallus | <i>crex.</i> | Motacilla | <i>cannabina.</i> |
| Meleagris | <i>gallopavo.</i> | | <i>linaria.</i> |
| Phasianus | <i>gallus.</i> | | <i>luscinia ? (Ilolin-</i> |
| | <i>cristatus (kau-</i> | | <i>tu) d).</i> |
| | <i>nis Kana).</i> | | <i>phænicurus.</i> |
| | <i>patavinus (Pan-</i> | | <i>alba (Westeräkki),</i> |
| | <i>skilainen).</i> | | <i>œnanthe.</i> |
| | <i>plumipes (tup-</i> | Parus | <i>major.</i> |
| | <i>sijalkainen Kana)</i> | Hirundo | <i>rustica.</i> |
| Tetrao | <i>tetrix.</i> | | <i>urbica.</i> |
| | <i>urogallus.</i> | | <i>apus.</i> |
| | <i>bonasia.</i> | | |

AMPHIBIA.

AMPHIBIA.

| | | | |
|---------|-----------------------------|---------|-----------------------------|
| Rana | temporaria (Sam. makko). | Coluber | prefler (mufla Kär- me), |
| Lacerta | agilis (Sifaljko). | | natrix. |
| Coluber | berus (Kirjava Kärme) | Angvis | fragilis (Vaski- kärme), |

PISCES.

| | | | |
|---------|---|----------|-----------------------------|
| Muraena | anguilla (Angerias) | Salmo | albula (Muikku, Rääpys), |
| Gadus | lota (Maë, Matikko). | Esox | Lucius (Hauki) |
| Perca | fluviatilis (Ahven) e) rupestris? (Ranta- ahven). | Cyprinus | carasius. |
| | lucioperca (Kuha). | | rutilus (Särki). |
| Salmo | cernua (Kiiski). | | idus (Säynä). |
| | salar (Lohta)rario- | | alburnus (Salakka). |
| | trutta (Rutu). res. | | brama (Partilahna) |
| | eperlanus (Koreh). | | ballerus (pieni Lahna). |
| | lavaretus (Siika). | | |

INSECTA.

| | | | |
|-----------|------------|----------------|-----------------|
| Scarabæus | depressus. | Galeruca | quadrimaculata, |
| Cicindela | hybrida. | Cryptocephalus | sexpunctatus B |
| Feltis | brunnea. | Lymexylon | paradoxum. |
| | | Cucujus | |

e) Occurrit & hic locorum (in lacu parvo Kaluteri) varietas illa, quae spina est recurva & dorso omnino gibbo, quamque in stagnis ad Falunam urbem frequenter reperiri narrant a LINNÉ Fn. Sv. n. 332. & RETZIUS Fn. Sv. p. 336 n. 69.

| | | | |
|--------------------|----------------------------|-------------------|--------------------------|
| <i>Cucujus</i> | <i>crenatus.</i> | <i>Sphinx</i> | <i>porcellus.</i> |
| <i>Melolontha</i> | <i>julii α, β.</i> | <i>Sesia</i> | <i>apiformis,</i> |
| <i>Prionus</i> | <i>coriarius.</i> | | <i>culiciformis.</i> |
| | <i>depstarius.</i> | <i>Bombyx</i> | <i>pavonia.</i> |
| <i>Saperda</i> | <i>oculata.</i> | | <i>pinī.</i> |
| <i>Leptura</i> | <i>Lamed.</i> | | <i>versicolor.</i> |
| | <i>smaragdula.</i> | | <i>vinula.</i> |
| | <i>nigripes.</i> | | <i>cossus.</i> |
| <i>Molorchus</i> | <i>abbreviatus.</i> | | <i>libatrix.</i> |
| <i>Anthribus</i> | <i>latirostris.</i> | <i>Noctua</i> | <i>fulva.</i> |
| <i>Curculio</i> | <i>colon (rerior).</i> | | <i>festucae.</i> |
| | <i>fulcatus β.</i> | | <i>umbrata.</i> |
| <i>Tritoma</i> | <i>bipustulata.</i> | <i>Tinea</i> | <i>evonymella.</i> |
| <i>Staphylinus</i> | <i>cyaneus.</i> | <i>Blatta</i> | <i>orientalis.</i> |
| <i>Stenus</i> | <i>biguttatus.</i> | | <i>germanica (e Rus-</i> |
| <i>Papilio</i> | <i>Apollo.</i> | | <i>sia nuper ad-</i> |
| | <i>Machaon (copulosus)</i> | | <i>vena).</i> |
| | <i>Paleno.</i> | <i>Semblis</i> | <i>phalænoides.</i> |
| | <i>Atalanta.</i> | <i>Hemerobius</i> | <i>chrysops.</i> |
| | <i>Mnemosyne.</i> | <i>Raphidia</i> | <i>ophiopsis.</i> |
| | <i>Niobe</i> | <i>Lyda</i> | <i>erythrocephala.</i> |
| | <i>pruni.</i> | <i>Sirex</i> | <i>spectrum.</i> |
| <i>Sphinx</i> | <i>ocellata.</i> | | <i>juvencus.</i> |
| | <i>euphorbiæ.</i> | | |

